

1299

C O D I C E S

1300

Dyscome eiusdem Ord. que fecit scribi Bononie in Anno domini M^o CCC. XXVI^o. quicumque sibi abstulerit anathema sit. Henricum an. 1336. etiam num in vivis egisse probat ejus electio in Vicarium gen. suae Provinciae Brugis in Capitulo gen. illo anno facta, id quod solum de eo notant Ordinis Bibliothecarii.

DLXXIX.

- U. 689 Codex membranaceus lat. Sec. XIV. Folior. 167. f. per duas columnas caractere luculento exaratus, coloribus distinctus, et legatus olim Collegio ducali Wienne apud Fratres Predicatores ab Jodoco Weiler de Hailprunna Theol. Prof. et D. Stephani Canonico sequentia Scholastica complectitur: I. *Quodlibet Magistri Jacobi De Esculo Ordinis Minorum*. Orditur ille: *Quia teste beato Jo. Apoc. I. c. deus est principium et finis omnium. s. alfa et o. idcirco oratione premissa deprecabor dominum &c. tractatque Quaestiones XVI. quarum Tituli ad calcem adscripti sunt, et quarum prima est: Vtrum simplicitas diuine nature compaciatur secum aliquam distinctionem ex natura rei preuiam distinctioni personarum. De hoc Jacobo Esculano, sive Asculano agunt Possevinus in Apparatu sacro, Waddingus in Scriptt. Ord. Fabricius in Bibl. med. Lat. Mazzuchellius in Scritt. d'Italia Vol. I. P. 2. unus, ut fit, ex altero; atque inde error etiam propagatus est, vixisse illum circa an. 1464.*

cui manifeste Codex noster Seculo integro vetustior contradicit. Ex hoc porro errore factum puto, quod Waddingus Jacobum nostrum cum Jacobo Piceno, sive de Marchia ὁμοχωρ confundat, quem a. 1476. excessisse facile credo. Ceterum *Quodlibet* scripsisse hactenus ἀνεκδοτον omnes conveniunt, idque teste Mazzuchellio etiam in Patavina D. Antonii Bibliotheca servatur.

II. fol. 33. praevio *Quaestionum XXI. Elencho* sequitur *Quodlibet Job. Duns*, sive Scoti O. M. Doctoris *Subtilis*, de quo saepius dictum est. Ejus initium est: *Cun-De res difficiles. ait salomon eccles. I. et cur intelligat eas esse difficiles subdit &c. Finis: Per hoc solute sunt rationes*, ubi in edit. Opp. omn. Lugd. 1639. T. XII. p. 544. f. legitur: *Et sic patet ad rationes. Clausula est: Explicit quodlibet magistri Johannis scoti de ordine fratrum minorum. Quaestiones hae Quodlibetales, quas Waddingus editor in Praef. T. cit. Opus pretiosissimum et medullam Doctrinae Scoti vocat, mature typis exceptae sunt, ut vel mihi Editio per Albert. Stendal 1474. et Venetae 1481. et 97. f. adjaceant.*

III. fol. 97. *Quodlibet Alexandri. Alensem* putares, et ita quidem scriptum erat in fol. Codici praevio: *Quodlibet Alexandri de Hales*; verum peritior Manus superinduxit: *de Alexandria*. Habemus igitur rarissimas *Quaestiones Quodlibetales Alexandri* dicti a loco natali *de Alexandria*, electi a.

1313.

1301

D O G M A T I C I.

1302

1313. generalis O. M. Ministri, et in hoc munere mox altero anno Romae defuncti, quas quidem memorant Bibliothecarii supracitati nullo tamen, ubi condantur, designato loco. Sunt porro numero, ut Elenchus subsequens eloquitur, XXI. eaque, quae chorum ducit, ita habet: *Primo queritur: utrum in una et eadem re simplici possint includi diuerse formalitates siue diuersa esse quiditativa &c.* Ultima vero finit: *et ideo propositio non verificatur nisi per synecdochen.* Post Elenchum adscripta est, et fuse tractatur Quaestio: *Vtrum aliqua essentia alia ab essentia prima sit ab eterno?* An et haec ad *Alexandrinum* pertineat, ignoro. Scholam certe Doctoris *Subtilis* aequae sapit.

IV. fol. demum 145. succedunt *Quaestiones Scoti de Anima.* Initium primae est: *Vtrum sensus tantus sit vnus uel plures. Videtur quod vnus, quia si essent plures, tunc essent plures quam quinque &c.* Numero sunt XXII. Elenchus tamen subiectus non ita eas praesentat, ut procedunt; procedunt autem eadem ratione, qua in suprac. *Opp. Scoti* Editione. T. II. p. 485. ubi queritur Commentator *Hugo Cavellus* O. M. Opus esse mutilum, nec emetiri totum *Aristotelem* περὶ Ψυχῆς. Interim ille una Quaestione, nempe 23. plus censet, quam Codex noster. *Waddingus* in *Censura* praevia trium *Codd. Vaticanor.* meminit, quibus hae *Quaestiones* insunt, et geminae vetustae impressionis *f. l.* et *a.* quam fane raram esse oportet.

Adscripta est ad calcem *Quaestio* proluxa: *Vtrum theologia sit scientia proprie dicta?* quae profertur: *Videtur quod sic. Sicut se habet lumen naturale sensus ad lumen naturale intellectus agentis &c.* et non est illa, quae legitur apud *Scotum* initio L. I. *Sententiar.* Interim esse *Scotistae*, probant ea, quae *Thomae* obmouet.

DLXXX.

Codex chartaceus lat. Sec. XV. U. 621. Folior. 256. f. per duas columnas non una manu exaratus, rubricis distinctus, et unus ex XVII. illis, quos, ut verbosa Nota praevia commendat, M. *Andreas de Weytra* T. D. et S. *Stephani* Canonici ad *Librariam Collegii Ducalis* inter Vivos donavit, inscribitur I. *Incipit prologus theoloyce veritatis Hugonis primi postillatoris totius biblie Cardinalis Ord. pred. Error,* de quo jam *Vol. I.* non semel monui; non enim *Hugo a S. Caro*, sed *Hugo de Argentina* *Compendii* hujus in VII. Libros divisi autor est. Horum Librorum praeit Index subnotatus an. 1404. ad cuius calcem varia *Αποκα* inculcata sunt, puta: *Prognostica* Anni juxta dies hebdomadis, in quos inciderint *Kalendae Januariae*, *Prognostica* de Pueris juxta eosdem dies, quibus nati fuerint, *Sermo brevis feria 2. post Pascha* de Vita humana sub *Peregrinationis Schemate*, *de Karena*, *Intronizatio plebanorum ad ecclesiam*, pluresque *Passus* theologici &c. ita, ut Opus ipsum fol. demum 5. inchoet:

M 3

inchoet: